

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

79. Alia Anonymi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

78. Aqua fortis cum spiritu vini
mixta Lullii,

In Elucidat. Testam. p. 147. Artis aurifer.

R. **V**itrioli partem unam, Nitri partem unam, Aluminis partem quartam, omnia misceas bene insimul, & pone ad destillandum lento igne, donec humiditas recedat, tunc da fortiorem, & ultimò fortissimum, donec albificetur alembicus, tunc enim est præparata aqua fortis. Postea **R.** Aquæ prædictæ libram unam, & pone in cucurbita magna, & funde desuper uncias quatuor aquæ vitæ (*ardentis*) quatuor vicibus destillatæ, & pone desuper alembicum cum suo receptorio, tunc faciet magnos strepitus bulliendo cum maximo impetu sine igne. Quapropter commixtio aquarum debet fieri successive. Tunc pone in aliam cucurbitam minorem & pone desuper alembicum cum suo receptorio, & in balneo destilla Aquam, ut solummodo materia remaneat in fundo vasis in forma Glaciei, reassunde Aquam, & destilla iterum, & hoc reitera novem vicibus, tunc manebit in fundo oleum vel materia ut glacies.

Hoc Lullii menstruum clarum est, quapropter nostra elucidatione non indiget. Describitur autem ab Anonymo quodam apud Rhenanum hoc modo.

79. Aqua fortis cum spiritu vini mixta
Anonymi cujusdam,

*Libro de Principiis naturæ & Arte alchym. pag. 28.
Syntagm. Harm. Joh. Rhenani.*

R. **N**itri & Aluminis ana, & destilla phlegma donec spiritus fortes & dissolventes ascendant, & his præpone recentem & mundam aquam destillatam, & in eam spiritus igne

igne fortissimo urge. Deinde R. Spiritus vini bene purgatos, ac subtiliter destillatos per balneum, de his recipe uncias quatuor ad libram unam aquæ fortis, in cucurbitam magnam, superponens ei alembicum, claude & loca eam in Aquam frigidam, ac ebulliant, donec cessat bullire. Tunc loca in balneum, & destilla aquam, sic ut spiritus adhuc humidi remaneant, tunc reafunde ipsis Aquam prius extractam, & fac ut prius, & illud septies repete, semper destillans cum igne leni, donec non velit destillare, sed remaneat in fundo instar olei.

Ex Receptis hæc observamus notatu digna.

1. Spiritum vini phil. in spiritu acido quodam dissolutum, menstruum esse minerale. Nostram Aquam fortem; Acetum nostrum, Acetum destillatum, Acetum cum spiritu vini mixtum, nostrum spiritum salis, sulphuris, &c.

2. Spiritum ejusdem vini in acido cum maxima dissolvi effervescentia. Hinc summè cavendum ne spiritus vini phil. nimium effundas in Aquam fortem; & vice versa. Tutius enim esset Aquam fortem destillare desuper vini phil. spiritum, juxta Paracelsi monitum.

3. Sumere Aquam fortem cum spiritu vini mixtum, pro Aceto cum spiritu vini mixto, aut spiritu salis cum spiritu vini mixto, &c. licitum esse, præsertim in operibus alchymicis.

4. Menstrua hæc eo fortiora fieri, quo magis abstrahantur ab acido in dissolutione debilitato.

5. Adeptos etiam usos fuisse menstruis corrosivis vel aquis fortibus. Sunt non tantum communium laborantium & ignorantium sed Adeptorum etiam quidam, horum menstruorum præparationem & usum nescientes, qui contra corrosiva hæc menstrua scripsere. Fatui inquit Bernhardus, ex minoribus mineralibus faciunt & extrahunt aquas corrosivas, in quas projiciunt species metallorum & eas corrodunt. Putant enim illas solutas esse solutione naturali, quæ quidem solutio requirit permanentiam simul scilicet solventis & soluti; ut ex utroque nempe masculino & fæminino semine nova species resultet. Amen dico tibi, quod nulla aqua naturali reductione speciem metallicam dissolvit, nisi illa quæ permanet.

manet in materia & forma, & quam metalla ipsa soluta possunt recongelare. Quod in aquis fortibus non contingit, sed potius est deturpatio compositi, utpote corporis dissolvendi, &c. sic tamen solvere se putant in natura errantes, sed non solvunt. Quia aquis fortibus abstractis, corpus ut prius liquefit, nec aqua illa erit ei permanens, nec substat illi corpori pro humido radicali. Corpora quidem corroduntur, sed non solvuntur, & tanto magis à metallica specie alienantur. Quare hujuscemodi solutiones non sunt fundamentum Artis transmutatoriae, sed potius imposturae Alchymistarum sophisticorum, qui putant in his hanc artem sacram latere, &c. *Epist. ad Thom. de Bononia pag 60. Artis aurifer.* Sic in Regeneratione metallorum, inquit *Sendivogius*, sinistrè proceditur à vulgaribus chymicis. Corpora metallica solvunt sive mercurium, sive aurum, sive saturnum, sive lunam, & corrodunt illa aquis fortibus, & aliis rebus heterogeneis ad veram artem non requisitis, postea conjungunt & simul cogunt nescientes quod ex corpore humano dissecto non generatur homo, &c. *Tract. 6. pag. 488. Vol. 4. Th. Chym.*

*Some do by Art corroding waters make,
In which metalline species they calcine,
But then the liquor doth the earth forsake
Nor by mans skill together they will combine:
This way to fools we leave, for nothing fit,
But for to waste ones thrift, beware of it.*

Pag. 41. of the 2. part of the Marrow of Alchymy.

Hæc & ejuscemodi dicta contra nostra torquent menstrua mineralia sive acida, ubi contra communes non sapientum aquas fortes fuere scripta à Philosophis. In isto passu, inquit Lullius, errant ignorantes, arbitantes corpora metallorum cum fortibus aquis communibus dissolvi, ut supra dixi in principio hujus operis, & adduci ad primam sui materiam vel naturam; sed si libros nostros legissent, scirent utique tales liquores intentioni

tentioni Philosophorum repugnare , &c. *Compend. animæ Transm. pag. 194. Volum. 4. Th. Chym.*

Lullii mentem ita explicat Parisinus fidelis ejus discipulus: Quæ de aquis fortibus nobis objiciuntur, illas videlicet in arte inutiles esse, & nihilominus à Lullio doceri, aliter accipienda sunt. Hoc modo enim differentiam inter aquas fortes sapientum & vulgares ponit, &c. ideoque Raymundus cum aquas acutas rejicit, aquas fortes separationis intelligit, non verò sapientum aquas. Cap. 6. libr. 1. Elucidar. pag. 206. Volum. 6. Theat. Chym.

Sed quod ipsa commonstrabunt menstrua, nobis vel auctoritatibus vel argumentis elucidare non nisi superfluum foret.

G g XVI. Genus.